

penetravisse LYSERVS aliquoties allatus, cum scribit: *Fides pœnitentis a fide infantis eatenus differt, quatenus homo pœnitens, nisi reprobus sit, an in fide sit, tentare se, probare & cognoscere queat. 2. Corinth. XIII, 5. Licet vero notitia illa reflexa intentatis obscurior sit, attamen in ipso illo tentato esse, licet non sentiat ex Scriptura dictis, quæ unice DEO causam fidei assignant, & quod illam in non re-jicientibus producat, contra ipsas tentati objectiones probari potest & debet. p. 1530.* Si vero eatenus saltem differt fides adulti & infantis, sequitur, fidem Infantis esse etiam Infantis pœnitentis, nisi velis fidem adultorum specie aliam a fide infantum facere, quod tamen præter alios, quos tace-mus, multis argumentis gravissimis confutavit B. MICH. WALTHERVS Theologus hujus Academiae celebratissi-mus, in disputatione *de fide Infantum* & B. QVISTOR-PIVS in disputat. *de eadem materia.* Unde a verbo ἀνθρώπων nequaquam excludendi erunt infantes, sive jam illud sic verbum *mandati* de agenda Pœnitentia, sive *promissionis* de Remissione Peccatorum & aversione poenæ, id quod haud obscure patet ex oraculis clarissimis *Actor. II. 39. XXVI, 22.* quæ ut fusius explicemus, brevitatis instituti non permittit. Urgeri potest inter alia quoque *Act. XVII, 30. 31.* Ubi mandatum DEI de pœnitentia agenda ubique & ad omnes homines pertinente, restrictionem ad solos adultos non admittere videtur. *Conf. SEB. SCHMIDIVS in Colleg. Biblic. N. T. p. 267. sq.*

§. XV. Redeo jam ad oraculum nostrum, & Joëlem *infantum* quoque *poenitentiam* serio intendisse & voluisse minime dubito. Fuerant illi jam circumcisi & in gratiam recepti, adeoque opus habebant perinde ac adulti poeniten-tia, quæ decet regenitos, subinde tamen peccantes, & gra-tia & fide rursus excidentis, cui aliter, quam per poeniten-tiam ex ordine a Deo præscripto, subveniri non potest. Adeo-que

que